Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1675

Quelle:
Copyright:

VII. *fol.* 229. *Gloſſae in XII. Prophetas Minores.* Sine Autoris nomine. Scriptae, ut ad calcem dicitur: *Anno* 1422. Verum Scriptor ea, quae in *Oſee* C. II. a v. 14. usque ad v. 16. C. VII. dicuntur, transcurrit, et animadverſo errore poſtmodum a *fol.* 325. p. 2. usque ad finem *Cod.* ſubnexuit.

CCCCXXIV.

538 Codex chartaceus lat. Sec. partim XV. partim XIV. Folior. nunc 107. 4. commode ſcriptus, rubricisque diſtinctus haec complectitur: I. absque Titulo Tractatum *de prioribus V. Sacramentis*, qui incipit: *Ad chriſti iheſu domini noſtri laudem et honorem* &c. ut *Codd.* CCCCXXIII. et DCCCII. cumque ad priorem notaverim, Autorem hujus et mox ſequentis Tractatus eundem videri, hic quoque *de Sacramentis* Tractatus anonymus eſſe deſinit.

II. *fol.* 30. ſequitur *Tractatus*, ut e calce praecerpo, *contra errores diuerſos et opiniones falſas pro nunc occurrentes et per ypocriſim defenſatos reportatus per Wenceslaum de Podyebrad ſub Anno domini M° CCCCXX. Omouſyon miſerere mei.* Articulos *Picardis Bohemicis* imputatos LXXVI. obpugnandos ſibi ſumit Noſter, ita exorſus: *Primus articulus. Quod non ſunt tres perſone ſcilicet pater filius et ſpiritus ſanctus equales potentia ſcientia et maieſtate in perfecta vna eademque deitate. Quod autem iſte Articulus ſit hereticus patet ex fide ſcripture Gen. 1°. vbi dicit. In principio creavit deus celum et terram &c. Veritas hebraica habet In principio creauit heloym. i. dij celum et terram* &c. Ab hoc itaque Exemplo abeſt εἰσαγωγη, quam ad *Cod.* CCCCXXIII. indicavimus. In *Articulum* 35. de *Praga* exſcindenda *fol.* 65. p. 2. ita commentatur: iniquitatem maximam eſſe *matrem ciuitatum in iſrael. ciuitatem literarum* (Joſ. c. 15. v. 15.) *matremque veritatis eicere. que huius modi pſeudo ſompniatores veritatem noſcere docuit et in omni ingenio — fouit et educauit. In illam ergo hoc cogitare fuit in toto deficere. — Quod autem ſcribentes et docentes vocauerint eam Babilon ſaluo timore Chriſti recte mentiti ſunt in caput ipſorum, cum ſit ieruſalem ſuper quam invocatum eſt nomen fortiſſimi dei. Ita ut XL. principes et gentem de tot regnis collectam innumere multitudinis fidelibus lacrimis deuotisque orationibus ſuperauerit. et viriliter ſtans et reſiſtens vsque in finem effugauerit et in alio bello miraculoſo XVIII°.* (anno?) *Barones vna cum multitudine hoſtium interfecit. Et fortiſſimum caſtrum wiſſegraden. debellauit. quod non eius. ſed dei fortiſſima miſericordia ſuper ipſam invocata effecit. — Quod autem in ea oderunt domos et alta edificia. hoc eſt ab ipſorum perfidia, cum ſcriptura ſacra commendat Jozaphat* &c. qui videlicet domos ad inſtar turrium urbesque